DE ECLAMPSIAE DIAGNOSI ATQUE PROGNOSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. M. APRILIS A. MDCCCXXV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

THEOPHILUS DE *MEYEREN*
BORUSSO-EICHSFELDENSIS

OPPONENTIBUS:
HEIM, MED. ET CHIR. DR.
HILDEBRANDT.
ROTHKEHL, MED. DD.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

PATRI MEO CARISSIMO

CAROLO DE MEYEREN

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

DEDICAT

AUCTOR.

Aequo lectori
S. D.
Auctor.

Quae singula hominibus ad scribendum accedentibus timorem facere consueverunt, L. B., ea mihi sese in elaborando specimine inaugurali objiciunt universa. Sive enim rei materia afferre difficultatis nimium solet, eclampsiam dicimus; sive lectorum dignitas, solemni eruditorum examini submittimus hoc specimen, sive ipsa scribendi conditio concitare anxietatis aliquid potest; ita enim scribere constituimus ut, si minus ex aliqua parte nostra lecturis approbata fuerit oppinio, causa nulla sit, quin potius temeritatem nostram quam industriam in re suscepta accusandam putent. Ecquis est medicorum, qui ignoret quanta hactenus morborum naturam caligine obrutam jacere, quanta praesertim eorum, quos proxime ab aliqua nervorum sensus perversitate provocari dicimus. Quae cum ita se

habeant mihi ipsa per se delectae ad scribendum materiae dignitas exigui temporis attentos lectores factura videtur. At vero tironum non est in ejusmodi argumento orationem versari, qui non prius in illustrium virorum scholis diu multumque exercitati et deinceps ipsi rerum usu cumulatissime instructi sunt, ego utrisque abundasse grato animo profiteor. Tanta quidem est sensuum fallacia, et non exigui inde errores, quos pro sua natura mens nostra committere solet, ut, non dicam mea haec mediocritas ingenii decipi, sed quisque et doctissimus homo in vada et scopulos deduci posse, videatur.

Quibus diligenter cogitatis, speravi, viros doctos rerumque usu peritos jucunda commentatione delectare, si ex classicis scriptoribus hujus rei repetitam memoriam expositurus sim. Cum vero non tanto otio abundo, ut absolutum limatiusque opusculum sistere possim, haec L. B., qualiacumque sint, comis accipias, aequi bonique consulas. Vale.

Morbus unde nomen sortitus sit?

Neminem unquam fore arbitror, qui ignoret, quanta sit veterum in describendis ad naturam morbis diligentia, quanta illorum subtilitas ac elegantia in eligendis construendisque verbis, quorum vi jam ipsa res profecto illustratur. Sive enim res et verba eas explicantia spectemus, ea ita sunt de medio sumpta, ut cujusvis affectionis quasi imaginem ante oculos versari sentias, quibus ingenium non prorsus servile ad excelsos de rebus medicis sensus imbuatur. Est autem quoddam morborum genus, proprie nomine vacans, quod Graeci ἐκλαμψιν, s. ἐκλαμψιαν appellant, motus corporis voluntati non obtemperantis: nos autem hos eosdem motus concitati corporis recte, ut opinor, convulsiones dixerimus. Dissentiunt quidem inter se scriptores de vocabuli etymo, quorum nonnulli ab ἐκλαμπειν id est emicare, elucere,

hoc derivandum putant; [1]) alii contra [2]) ab ἐκ ex, et λαμβανειν capere, malunt, est idem quod excipere, s. corripere et metaphorice opprimere, ideoque parum differre ab epilepsia opinantur. Vides quidem haec quam levia sunt, in quibus discrepant interpretes; sin autem occurratius rem pensitemus, opportunius etymon esse censeo το ἐκλαμπειν, testante enim Hippocrate et experientia edocti scimus ipsam morbis naturam mederi. [3]), haec sive vis vitalis, quam sub febris imagine valde actuosam videmus, emicat quasi flamulae instar et vehementius invalescit, si morbum aliquem superet; hinc ea metaphora, ἀπὸ τοῦ ἐκλαμπειν ipse Hippocrates usus est [4]) nec aliunde inventores quam ex tali significatione, quae subitaneum et exitiabilem convulsionum impetum indicet, vim hujus verbi intelligi malunt, et id etiam recensiores indicare voluisse videntur, dum has convulsiones dicunt epilepsiam acutam. De qua re, etsi his motibus aliquid similitudinis in

---

1) Conf. Anutii Foesii oeconomiam Hipp. sub voce ἐκλαμπειν, p. 187. ubi invenies selecta ex Hippocratis loca, quibus lucutenter vera hujus verbi significatio et etymon demonstratur.

2) Kraus med. Lexicon.

3) Hipp. epidem. Lib. VI. Sect. V. § 1. ex edit. A. Foesii.

4) Hipp. de prisca medicina p. 16. lin. 15.

esse videatur, ego quidem dubito, cum causa nulla sit, quin etiam alios morbos, qui, etsi ab epilepsia longe remoti, convulsiones provocant, ita vocares, apoplexiam puta, morbum cerealem, hysteriam etc. Absit hoc loco longiorem hujus rei sermonem facere, cum ea, quae ad rem pertinere videbuntur, inferius exponam.

Id autem commemorare liceat, ad eam me sententiam jam adduxisse Friderici Hoffmanni auctoritas et peritia, qui ob harum convulsionum ambiguam naturam, genus quasi medium epileptico convulsivum coustituit. [1]) Sed ne silentio praetermittam, quae Germanis sunt nomina hujus morbi, commemorem *Zuckungen*, *Schauer*, *Freisen*, *Kopfjammer*, *Stillerjammer*, *Krämpfe*. Ita nemo non videt, eorum nominum unumquodque et incertis et laxioribus limitibus circumscriptum teneri, atque omnem in sola observatione diligentiam ponendam esse, a qua medicus sine verbi interprete intellecturus est morbi naturam.

Historia aegritudinis.

Id autem ante omnia scire convenit, quod non solum infantes sed etiam adultos eclampsia

---

1) Med. rational, Syst, Tom, IV. pars III.

invadere solet, quorum gravidis, parturientibus et vulneratis familiarissimus est. At hujus morbi cognitionem cum omnibus quam accuratissimam facere cupiam, exordiar ab ECLAMPSIA INFANTUM.

Quibusdam interdum symptomatibus praenuntiari videmus morbum futurum, quae vel longo vel brevi tempore interjecto praecedunt; eorum alia morbum indicant proxime imminentem. Prout vero et infantum aetas et res externae diversae sunt, sic quoque hujusmodi symptomata variari solent. Haec ergo habebis praenuntia morbi. Si infans tenerrimus est et mamma nutritur, ejusdem corpus levi tremore agitatur, paulatimque subsiliunt tendines et se invito, dum dulce lac blanditur prolem, repente cogitur dimittere mammam; faciei color alius alium insequitur; subridet per somnum; interdum leviter tument partes circa oculos jacentes; oculi vagantur et vultus quasi obstupescit; subito expergiscitur e somno laborioso [1]) et ejulat vel vagit. Sin autem infans aetate aliquantulum processit, et, quidquid sentiat, verbis declarare potest, vertigine se oppressum conqueritur; fallitur oculorum visus; cephalgia. auriam tinnitu, et glaciali extremarum partium frigore tentatur.

---

1) Hipp. aphoris. Sect. III. § 24.

Interea digestio languet et vario modo turbatur, ciborum appetentia deficit, alvus comprimitur, crebraque tormina et praecordiorum inflationes contrahuntur, praeter modum facies pallet, vel livescit, imo et lotii excretio interdum difficilis supervenit. [1])

Affligi solent infantes serius ocius post partum, frequentius tamen intra tres vel sex priores aetatis menses et ultra [2]) et si antea sani fuerint, primum noctu corripiuntur convulsionibus. [3]) Nec ad prodromos febris referenda est, nisi ipsa convulsionum efficiens causa sit, ut frequentissimum hoc deprehendimus in morbis exanthematicis et aliis acutis, aut, si qua cum prodromis conjungitur, exceptis illis morbis, continuo ab initio eorum comes non est, sed vix sensibilis ipsa modo accedit modo recedit. —

Ex quibus proxime imminentem eclampsiam, imo ipsud ejus initium cognosci posse, ut recte intelligatur, scire oportet, cuncta, quae superius exposui vicissim recrudescere paulatimque invalescere, donec ita afflicti jacent infantes, ut medium quasi inter somnum et vigilias tenere videantur; vere dormiunt per unam alteramve horam diei;

---

1) *Rosen von Rosenstein Kinderkrankheiten.*

2) Hipp. praenotion. Sect. III. § 35.

3) *Henke Kinderkrankheiten.*

strident dentes [1]) apertos et immobiles oculos videbis, vel semiclausos ita hos reperies, ut superior palpebra eorum pupillam recondat et nihil nisi aliqua scleroticae pars cernatur; cum difficultate interdum suspirio inaequalis spiritus ducitur. [2]) Sudores singularum partium colli, pectoris etc., erumpunt, ex improviso clamores edunt frequentius, vel vagiunt, vel, quod pejus est, continuo ejulant; remissis his universim quiescerent, nisi pavores exorirentur, quorum causa vel levissima, vel non evidens est. Dum expavescunt, aegrotantium brachia rigescunt digitique distrahuntur et creber vomitus atque obstructa alvus hujusmodi symptomata comitantur. Quae hactenus descripta sunt, ob insidias, quas faciunt, CONVULSIONES CLANDESTINAS appellamus, vulgo autem *internae* vocantur, Germanis *stillen Jammer.* Quum vero omnes nervorum morbi nunquam certo aliquo symptomatum se excipientium ordine definitam aegritudinis formam describant, mirum non est, quin alia horum symptomatum serius ociusve adveniant, vel inter prodromos reperias, quae hic commemoravi et vice versa. Longius aut brevius immorari possunt haec phaenomena, nec semper

---

1) Hipp. Coaca praesag. ex edit. Dureti p. 127. § 7.
2) Hipp. aphoris. Sect. 4. § 68.

convulsionum causa facta sunt. Interdum momento evenire omnia possunt, vel accedunt et recedunt, per exiguum temporis spatium, vel per horam et ultra. Interdum vel singulos partes occupant, vel totum corpus, vel alterutrum latus, plerumque alterum latus altero magis afficitur. Haud raro evenit, ut vomitum impetus cieat, vel salivam moveat, aut spuma ante os colligatur. Nunc invalescit malum, difficile spiritus ducitur, os penitus clauditur (Trismus) caput retro vertitur, [1]) rigescit corpus oritur singultus, omniaque symptomata suffocationis imminentis adveniunt, vel omnia membra convelluntur, meteorismo tentatur abdomen, alvi ductione prodeunt foetida, cinerea, virides, vitellina, variegata.

Denique levis somnus praehendit defatigatos, vel obruit altissimus sopor. Priusquam autem in hunc incidunt, non solum brachia rigescunt, sed vicissim et vario modo torquentur concutiturque pectus, omnes sensus externi abolentur, sopiuntur omnes interni et suarum cogitationum nullam habeant memoriam, [2]) neque aliud quid deesse solet, quod verae epilepsiae simulacrum examussim exprimat. Breviter immorans, levi corporis con-

---

1) Rosen l. c.

2) Conf. Boerh. de epilepsia in ejus op. de morb. nervor.

tensione desiit tandem impetus unius interdum paroxysmi, haud raro rediturus est ter quaterve et die secundo aut tertio terminatur, interdum per septimanam remitentium more permanet. Jam si imminet proximus eclampsiae impetus simul cum symptomatibus concomitantibus acutissima febris incenditur, ideoque et propter velocitatem cum qua ingruit morbus, inter acutos jam ab Aretaeo [1]) is descriptus est. Tandem si jam eclampsia semel affectus fuerit infans, novus ejus impetus semper metuendus est. Prae cetéris autem convulsionibus obnoxii sunt carnosi, obeso collo praediti et capitones, vel infirmis parentibus orti, vel matre gonorrhoea laborante editi, vel ab laboriose enixis nati.

Ejusdem argumenti continuatio.

Progredior ad ejusmodi eclampsiam, quae metuenda est in gravidis, parturientibus et vulneratis. Etsi negandum non est, quin eadem fere symptomata hanc praenuntiare et concomitare soleant, tamen nonnulla passim adnotanda veniunt, quae aliter se produnt, vel nova sunt. In

---

1) Conf. in operib. omnibus. Sectio de signis acut. morb. et sectio de eorum curatione.

memoriam igitur revocanda primum sunt pernecessaria, quae aetas, temperamentum, vitae genus, habitus afferre et morbi praegressi provocare solent, sed ea hoc loco recensere nobis chartae parcituris non licet. Protinus vero impetum esse accessurum cognoscitur, si cervicis frigus aegrotum praehendat et dorsum descendat, ac si id aura vel aqua frigesceret, deinde previdetur impetus ex urina, quippe qui cum febre conjunctus sit, ea modice colorata, aquosa redditur et spumans aliquamdiu permanet, vel in subjugalem mutatur; simul cum his accedunt capitis dolor, aurium tinnitus, oculorum hebetudo, vox lugubris, cervicis rigor, sensus gravitatis in apice sterni, osteocopi majorum partium extremarum, dolores circa praecordia, circa cardiam, respiratio intercisa, nec raro cordis palpitatio, arteriarum ictus contractiores inordinati, minores, haud raro intermittentes explorantis medici digitum feriunt, perpetuae vigiliae, somnus perturbatus, pavores nocturni, interdum noctu delirium taciturnum. Plurimos ineffabilis anxietas brevi ante morbi accessionem excrutiat; sunt qui peculiarem titilationis sensum vel rigorem in planta pedis et vola manus percipiant, vel quorum tendines subsiliant, quae quoque antequam subsilire incipiunt, per aliquod dies rigescunt. Scintilli ante oculos, vel maximus oculorum splendor, magna artuum lassi-

tudo, pandiculatio etc. proxime insultum antecedunt. Quam longa sit horum symptomatum recensio, omnibus patet, nec reticendum est, necesse non esse, ut, si futura sit morbi accessio, omnia simul adessent. Quo magis autem omnia, quae recensui, adsint, eo periculosior est Eclampsia.

Ideoque magis epilepsiam simulat, vel in eam transire consuevit. Praeterea commemorandum est, quo vehementiores sunt causae occasionales, eo facilior sine prodromis accedit. Illae causae occasionales vel referri possunt ad aliquam aegrotae diathesin, e. g. ad labem hystericam, vel veram hysteriam, vel proveniunt ex ipso partu, ut dolores, rupturae, vel aliae uteri offensiones ansam huic rei praebeant. Et si aliqua diathesis adsit, jam eam medicus cognoscere potest ante partum, etenim adest magna totius corporis lassitudo, praeter consuetudinem et naturam ineffabilis anxietas, respiratio difficilis. Causae quae dici merentur communes sunt plethora aliqua, ciborum magna copia, paulo ante partum sumpta, vel non satis idonei ad concoquendum. Ad easdem referri solent animi commotiones quae subito, sine ullis prodromis convulsiones provocare solent. Deinde sanguinis profluvia. Eamque ob causam veteres dixerunt convulsiones oriri posse vel ab

inani-

inanitione vel a repletione [1]). Interdum ejusmodi convulsiones sub animi deliquescentis simulacro oboriuntur, ita ut tranquilla jacet resupina aegrota, quod facile medicum fallere potest. Ex eo autem cognoscitur, ut si quaeras, utrum aegrota habeat suarum cogitationum aliquam memoriam, an recordari possit, quidquid cum ea factum fuerit, tibi respondebit in tenebris versatam fuisse.

De eclampsia alios morbos simulante.

Quum eclampsiae tanta intercedat cum animi deliquio, epilepsia et apoplexia affinitas atque necessitudo, magni itaque interest medicorum utrumque morbum signis sat certis distingui. Sunt enim, de quibus superius mentionem feci, motus convulsivi tam clanculi, ut infantes, excepta levi corporis agitatione, fere atoniti jaceant, aut omnino animi deliquium commonstrent, quos recte dignoscere a vero animi deliquio maximi momenti aestimatur. Quam ob rem de dubio hujus affectionis genere sententiam veritati consentaneam medicus pronunciet, si meminerit: omnis convulsionis naturam consistere in nisum ali-

---

[1]) Conf. Hipp. aphoris. Sect. VI. § 39.

quem, ut partes praeter naturam contrahantur, quem stimulus aliquis sive externus, sive internus provocat, is autem per se est nervis incongruus et inimicus, vel stimulus morbosus. Hanc sententiam de convulsionum ortu, quam exposuit Ill. Clarus [1]) interpretationem potius quam definitionem esse, quis non intelligat? Strictiorem rei definitionem nobis camparare fas est ex illo agendi modo, quo perversa nervorum functio patefacta est. In ea re maximi argumenti est cerebri nervorumque vis vitalis, ejusdemque energia valida excitatur stimulis incongruis, vel morbosis, ut indidem vehementissimi motus convulsivi oboriantur; sive vero jam langueat, ejusmodi stimuli etiamsi levissimi in eosdem motus convulsivos quam vehementissime agunt et provocant. Hujus rei veritatem quotidiana experientia docet, nec utilius rebus therapeuticis consulere potuit, Ill. Stahl [2]) quippe qui primus de convulsionum natura ex artis salutaris praeceptis judicare viam nobis monstravit, dicens; convulsiones fieri vel ex virium vitalium abundantia, vel earundem defectu, quod in omni aetatum memoria auditum et dictum est, [3]) sunt enim ex abundantia virium vita-

---

1) *Clarus über den Krampf.*

2) Theoria medica vera.

3) Conf. Hipp. aphoris. Sect. VI. § 39.

lium convulsiones, activae, ex earundem defectu autem, passivae, et maximam utilitatem haec convulsionum diagnosis afferre solet in curatione et prognosi.

His omnibus rite perpensis, si cum animi deliquio comparare velis, luculenter patebit in quo uterque morbus discrepat. Omnia, quibus demonstratur animi deliquium adesse, consistunt in defectu energiae, quem virium vitalium prostratio inducit, dum vim vitalem languentem in eclampsia stimuli etiamsi levissimi ad motus vehementissimos invitare et concitare solent. Hunc defectum virium in animi deliquio cognoscimus ex functionibus animalibus, cerebro et nervis, sicuti ex functionibus vitalibus. Palescit enim homo, naturalis corporis calor imminuitur, vel penitus extinguitur, tanquam placido somno prehensus homo jacet, vere nullus totius corporis motus, sudores frigidi, pulsus debilis, parvus, languidus et vix interdum perceptibilis; in eclampsia contra, contractus potius et supressus, duriusculus, frequens, vel nonnunquam magnus reperitur. Respiratio tranquilla, magna, aequalis, interdum vix perceptibilis ita ut omnia quae hanc affectionem concomitantur, tanquam veram mortis immaginem simulent. Quod multo sit aliter in eclampsia ubi actuosam aut potius furiosam vim vitalem videmus, omniaque symptomata hujus affectionis indicar solent.

At eclampsiam variis symptomatibus ab epilepsia discernimus quarum utraque nihilominus tamen aliquam affinitatem habere videbis. Quod attinet ad paroxismum, epilepsia morbus acutus est, quo ad decursum autem, chronicus, eclampsia autem in utraque re acutissimus morbus dicendus est. Deinde acutorum morborum comes et nonnunquam exitiabile symptoma observatur, quod de vera epilepsia nunquam comperimus, quamquam in eam degenerare posse, nemo est qui negat; cujusvis naturae vel idiopaticae, vel symptomaticae sit eclampsia, semper eam acuta febris concomitari solet, omnis febris expers epilepsia vera homines invadit. Convulsiones id est eclampsia, interdum morbum solvunt [1]) nunquam vero id fieri observatur ab epilepsia vera. Quamvis vero utriusque morbi signa et symptomata mirifice inter se conveniunt, longius tamen rerum usus medicos signum docuit, quod satis evidens constansque veram epilepsiam ab aliis convulsionibus epilepsiae similibus, distinguit. Hoc sensuum externorum internorumque plenaria abolitione perfectoque mentis sui prorsus non consciae continetur torpore. Ut vero, quidquid sola experientia de rebus edicit, ita firmum et con-

---

[1]) Hipp. coaca praesag. ex editione Dureti p. 77. § 163.

stans nunquam est, quin interdum fallat: ita et illo sensuum mentisque torpore, minus plenam comitalis morbi accessionem nonnunquam caruisse [1]) observatum est; et in ipsa epilepsia vehementissimas convulsiones aliquis animi stupor sensuumque imbecillitas excipere consueverunt. Ex quo utique sequitur, ut ne illo quidem signo, cui, quoniam inter cetera omnia minimum fallit, medici plurimum tribuant, in omnibus convulsis satis secure confidere liceat.

Quem simili adspectu ab eclampsia parum remotum deprehendimus, imo cum ipsa eclampsia conjunctum vel ingredientem animadvertimus, Graeci appellant apoplexiam, nos vero attonitum morbum dicere consuevimus. Sunt enim causae occasionales fere aedem, quibus utrumque horum morborum foveri scimus, et symptomatum satellitium parum diferre ab eclampsia ex eorum recensu quisque facile intellecturus est. Maxime tamen medici interest evitare ne ex symptomatum inter se diversis in morbis convenientia ad unam eandemque illorum morborum indolem temere concludat. — Utriusque morbi interior veriorque natura cerebri nervorumque abnormitate continetur, ita tamen, ut illa, unde eclampsia ortum

---

[1]) *Tissot Abhandlung über d. Nerven und ihren Krankheiten* ex versione Ackermann. Tom. III. p. 25.

ducit, in auctam virium vitalium energiam consistat, quae annomali et vehementiori partium motu patefieri dicitur, sive sit ab incongruis vel morbosis stimulis incitata valida natura, sive ab iisdem debilis vita exagitata; haec vero apoplexia hebetudini maxime deberi videtur, qua cerebrum in attonitis valde laeditur omnesque motus abolentur sopienturque etiam omnes sensus interni et externi. Unde in illa vim vitalem quammaxime, etsi interdum suspiciose, actuosam videmus; in hac vero omnis motus expertem et quasi consumptam censemus. Mirifice hoc ostendere videntur symptomata, scilicet repente homo, velut attonitus, cum clamore corruit, moxque clausis oculis stertit, et magna spiritus orta difficultate tantum non praefocatur, perinde laborante pectore, ac si vinculo quodam adstrictum, attolli prohiberetur. Ad haec, sensus motusque omnis perit, unica miseris a spiritu spes vitae reliqua est. [1])

De dubio convulsionis genere definiendo monita et praecepta.

Itaque adeo iis morbis, quos supra commemoravi, interdum similis esse potest eclampsia, ut

---

[1]) Conf. Iodoci Lommii, observationes medicinales.

ex eodem fere symptomatum satellitio stipata, vel hac, vel illa morbi specie terreat. Quam ob rem haud sine aliqua circumspectione et acurata totius morbi rerumque etiam circumstantium consideratione, de dubio convulsionis genere sententiam medicus pronunciet. Qui sua maxime interesse putet, ponderatis omnibus dubiae affectionis causis, praecipue iis, quae aliquam ad morbum fortasse reliquerint opportunitatem, indagato etiam, si quid ejus alere aegrota videtur, gravioris convulsivi morbi seminio, ideoque explorata omnino tum corporis aegrotae constitutione, tum animi indole, illa symptomata perquirere, quae seu totidem signa, latentem sub aegritudine morbum indicant. In omnibus nervorum morbis inter quos prae ceteris symptomatum consortio est, nunquam medicus, etiamsi *τεκμηριον* dicatur, singulo signo temere confidat, praesagia enim haud raro fallatia, [1]) idioque medici est, multis in rebus non certo, sed probabiliter praedicere. Porro morbus fraudem haud facile faciet medico satis perito, cui aegrotos iterato adire licet. Quo mitior est in initio, convulsionum accessio, eo suspiciosior haud raro, imo exitiabilis erit earum eventus, et pernitiosissimae convulsiones tardissime ingrediuntur. Quando tenera corporis compages

---

1) Hipp. de morbis Lib. I. et de fracturis.

labefactatur tum quoque crassior semper quam maxime respicienda est, praeterea quod major inter utrasque discrepantia deteriorem reddit eventum et medico, ut morbi naturam inveniat, multum commodi affert. Deinde negligendum non est animadvertere, utrum morbus per crisin, vel per lysin judicetur; num in alia corporis systemata irrepat, e. g. in systema vasorum, unde illud Hippocratis: convulsione aut distentione nervorum detento, febris si succedat, morbum solvit, [1]) et convulsioni febrem supervenire melius est, quam convulsionem febri. [2]) Eamque ob causam veteres magnam vim febri ad morbos discutiendos tribuerunt [3]) cujus laudes autem coercuit Werlhofius. [4]) Nonnunquam convulsiones superveniunt morbis, qui judicantur per metastasin, ideoque in morbis inflammatoriis, putridis et aliis. Sed ne longius oratio mea procederet, ea ad legendum commemorasse sufficiant, quae tanquam medicorum decreta legimus apud Taurellium, [5]) quae iterum transribere Grunerum non taeduit. [6])

---

1) Conf. Aphorismos Sect. IV. § 57.

2) Conf. Aphoris. Sect. II. § 26.

3) *Metzler über d. Vortheile der Fieber bei langwierigen Krankheiten* 1790.

4) De limitandis febris laudibus. in opp. omnib.

5) Methodus praedictionum medicarum pars 3. pag. 338 et sq.

6) Semiotice physiologica et patholog. 1775. p. 13.

Adnotationes quaedam in eclampsiam, maxime ad statuendam prognosin.

Qui de eclampsia praedicturus est, omnia colligere debet ex convulsionum natura; vero hae sunt activae, multo saepius passivae, aut ut veterum verbis utar, vel ex inanitione i. e. debilitate, vel ex repletione, i. e. virium actuositate. Qui cum multiplicem convulsionum eventum cognoscere studeat, eum scire oportet potentiarum nocentium rationem sibi esse habendam. Ex earum conjunctione cum aliis morbis, aut modo oriundi sequitur prognosis.

I. In initio acutorum morborum minus periculi afferunt convulsiones, plenitudo aliqua in causa est, ut oriantur; aut ab orgasmo ortum suum ducunt; aut sordes convulsionum fomitem praebent, et vomitus vel diarrhoea morbum solvit. Sin autem convulsiones perpetuae febrium comites sunt, quibus superveniunt dolores circa viscera, malum est [1]), eo deteriores imo laethales sunt, quo junior est aegrotus; senes interiunt apoplexia. Deinde in morbis febrilibus animadvertendum est num perpetuae et inseparabiles

---

1) Hipp. aphoris. Sect. IV. § 67.

sint convulsiones, quod malum praenunciat; an per intervalla recrudescant, tum de omni spe salutis non desperamus. Quando autem in morbis acutis magnae debilitatis signa ut delirium tranquillum etc. concomittantur convulsiones, aut iisdem superveniunt, tunc mortis appropinquantis indicia adsunt.

II. Convulsiones tanquam febrium epigenomina semper malae habendae sunt. Sin autem morbus acutus incipit cum convulsionibus et deinde febris increscit, majorem spem salutis adesse dixit Hippocrates [1]). Quae quidem solae febri laudes non tribuendae sunt. Nam exanthemata febrilia et turbita urina, quam paulo deinceps limpidam videmus et sedimentum habentem, convulsiones solvunt; eandem vim habere solent diarrhoea et sanguinis profluvia consueta, v. c. Menstruatio et fluxus haemorrhoidalis, nec minus somno demulceri et sedari solent convulsiones.

Et si convulsiones prehendant hystericos homines, minus periculosae sunt, sicuti iis infantibus etiam, qui jam aetate aliquid processerint, contra perniciosissimae imo funestae sunt omnibus tenerrimis. In iis febribus, ubi alia symptomata vel momenta causalia magnam cerebri nervorumque debilitatem indicant, ortam ex multis vigiliis, ce-

---

[1]) Aphoris. l. c.

phalaea, delirio phrenitico, exiguis evacuationibus, ut sanguinis profluvio, diarrhoea, etc., per quam detrimentosae sunt convulsiones. Hinc praedixit Hippocrates mortem appropinquantem, si naturae cum morbo atrociter dimicanti superveniunt convulsiones singularum partium. Semper malae sunt convulsiones, quae capitis, vel partium magna sensibilitate praeditarum, vel tendinosarum laesiones sequuntur, imo laethales sunt, si partes faciei convelluntur. Quibus puerperis ex repentina lochiorum suppressione convulsiones eveniunt, funestum est, sin autem natura morbum superet, tunc ejusmodi convulsiones novum impetum faciunt, quando nova menstrua recedunt. Omnium convulsionum, cujus causa non repetenda est a constitutione, ex improviso accessio fit; sin autem constitutio accusanda sit, tunc prodromi praecedunt. Omnes convulsiones funestae sunt quarum comites sunt signa inflammationis circa viscera, non solum capitis, sed etiam abdominis; praesertim si dolor fixus in abdomine pueros prehendit. Convulsiones, quae ischuriam subsequuntur vitae periculum adducunt, imo lethales sunt in febribus typhosis. Si difficile dentes erumpunt, vel acuta exanthemata infantes affligunt, tunc consuetae sunt convulsiones et tanquam symptomata cum multis morbis complicantur, e. g. febribus inflammatoriis, cholera morbo,

febribus mucosis, etc., concomitantur praesertim variolas, morbillos, anginam membranaceam, interdum vexare solent arthriticos, rheumaticos, non inaudita res est in apoplexia, hemeplegia, etc. Ita quoque eas volvulus, herniae, gangrena intestinorum alere possunt. Id autem insuper his omnibus addere liceat, quod diuturna observatio, notandis rebus fecit artem (Cicero de divinatione Lib. II.), nec unquam in his divini Hippocratis auctoritas peritura est.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

A D I E C T U M.

Ego Carolus Augustus Theophilus Theodorus de Meyeren natus sum anno MDCCCIV., Tastungiae vico in principatu Eichsfeldiae sito, patre Carolo de Meyeren, medicinam ibi feliciter exercente, et matre Christiana de Meyeren e gente Mülleriana quos utrosque parentes adhuc inter vivos esse Deo maximo, maximas gratias ago. Primis aetatis annis scholam Tastungiensem frequentavi, deinde Beyerus Theologiae Candidatus in patris domo habitans litterarum elementa me docuit, et aetatis anno X. Goettingam pater me

misit, ut in Gymnasio sub directore dignissimo Kirsten, ibi florente in litteris magis magisque exercear. Tribus annis praeterlapsis, quibus Goettingae versabatur, tandem domi profectus sum, quo Clariss. Wennig, concionator dignissimus me penitiori rerum sacrarum doctrina imbuit. Anno jam finito Duderstadiae me contuli, ubi quam maxime rerum humanarum doctrina Ill. et doctiss. Grupe abundavi. Anno aetatis XIV. Georgius Breithaupt ejusdem urbis pharmacopola versatissimus mihi tradidit IV. per annos elementa chemiae et pharmaciae.

Anno MDCCCXX Goettingam profectus, in album academiae Georgiae Augustae inscriptus et a Bergmanno t. t. prorectore in civium numerum receptus sum, ibique mihi tradidit: Ill. Schulz Logicen, Ill. Blumenbach historiam natural. et anatomiam comparatam me docuit. Clariss. Meyer Physicen, Ill. Stromeyer junior chemiam experimentalem, analyticam et Zoochemiam mihi explicuit. Exper. Hempel praelectiones osteologicas et physiologicas audivi. Ill. Kraus de doctrina pulsuum, de methodo formulas medicas recte concinandi. Ill. Himly Pathologiam generalem et specialem, Therapiam generalem, materiam medicam, omniumque morborum therapiam specialem me docuit. Ill. Thibaut mathesin puram. Ill. Conradi Pathologiam et Therapiam specialem.

Tandem et praelectionibus Ill. Langenbeck de anatomia in genere, de neurologia, de Chirurgia generali et speciali interfui, simulque is me instituit arte cadavera rite dissecandi, denique particeps fui exercitationum clinicarum in ejus instituto chirurgico.

Anno MDCCCXXIV. Berolinum profectus sum, quo albo civium die V. Maj. inscriptus sum et interfui praelectionibus Ill. Link de re botanica et historia naturali. Ill. Rudolphi de Physiologia, anatomia corporis humani et doctrina sensuum organorum. Ill. Graefe de ophthalmologia. Ill. Rust de Chirurgia. Ill. Horn de morbis animi. Clariss. Jüngken de ophthalmologia, audivi. Ill. de Siebold exercitationibus obstetricis in machina phantome ejusque de re obstetricia praelectionibus interfui. Tandem exercitatus sum in institutis clinicis Ill. virorum Berendsii et Graefii, ut ipse medicinam faciam apud aegrotus. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

In stadio secundo coxarthrocacis pedem non semper prolongari sed interdum breviari.

II.

Nulla ab extispicione certa inflammationis signa.

III.

Inoculationem morbillorum optandam esse.

IV.

Irritationem non attrahere.